

15  
17

8  
176






M. J.  
a

1. abdruck von seinem W.  
in dem Jahr Heinrich Ammer's  
auf seinem Altar zu  
Helmst. 1666
2. Ammer's Buch f. Heinrich van.  
Dora Tarnobinna, Quellingob.  
1663
3. Lassenij / Joh. / Löblinger  
Künig, Helmst. 1669
4. Miri f. Mart. / yndigt  
aus dem 133. Jahrb.  
Jena 1837.

5. Nylj / Georgij / 2 - Sammlung  
 yndigen <sup>aus der</sup> di Calvinisten.  
 Jena 1592.
6. ~~Rhodomanni / Laur. / Briefe yndigt  
 graf in Juliane von Hohenslein  
 Helmstedt. 1590.~~
7. Zu Saeffe / Peter / Juniors  
 des jünzern / Briefe yndigt.  
 Jena 1587.
8. / / / / /  
 Briefe yndigt Jena 1587.
9. Schacht / Valent. / brevis  
 declaratio verborum Coccei  
 Dominican, Jena 1591.
10. Schmidt / Carp. / tumb  
 perspectiv. Wittemb. 1669
11. Tender / Carp. / Briefe yndigt  
 Jent / eremid / Jalfus  
 Hoff. 1589
12. Ammerbach / Henr. / in ubera ontilis  
 Vospung in Gipsenlat. Halberstadt  
 1663.



T H R E N O D I A E

IN OBITVM PRAE-  
MATVRVM ILLVSTRISS.  
AC PIEN T I S S I M A E P R I N C I P I S  
ac Dominae, Dominae SOPHIAE Ducis  
Uirtenbergensis & Teccen-  
sis, &c.

ILLVSTRISS. NEC NON  
CELSISSIMI PRINCIPIS AC  
DOMINI, DOMINI FRIDERICI  
GVILHELMII, Ducis Saxoniae, Landgrauij Thuringiae,  
Marchionis Misniae, &c. Coniugis suauissimae, quae in ve-  
ra & ardenti invocatione FILII DEI obdormiens; ex  
tristissima hac miseriarum valle in coelestem & beatam  
illam gloriae regiam ad XII. Cal. Aug. A. O. R.  
c. Io. Io. X C. hora 8. matutina, quae  
ipsius Eclipseos Solaris fuit,  
translata est,

*Debitae pietatis, gratitudinis & subiectionis  
testanda gratia*

Conscripta.



I E N A E Typis Tobiae Steinmanni.

IN ORBITA M. P. R. A.  
L. A. T. V. M. I. L. L. V. R. T. K. I. S. S.

IN THE ...

THE ...

...

...

...

...

...



# Q U E R I M O N I A R E L I G I O N I S.



*Q*uia, donavit quæ providus ordinis Auctor  
Vitâ, non metuunt truculenta spicula mortis,  
Apta super donec sunt ipsis pabula: magnis  
Viribus astra polleant, peragunt & munia promptè  
Officij: Verùm si destituantur iisdem  
Extemplo recidunt vires, & membra fatiscunt,

*Illis interitum momenta quæ cuncta minantur.*

*Sic mihi, RELIGIO quæ dicor, nulla pericla,  
Nulla tyrannorum rabies, non falsa docentum  
Incussere metum fraudes, sed pectore firmo  
Insultus contra cunctos audentior ibam:  
At nunc luxata vires; nunc robora prisca  
Demta mihi; tremulo videor nunc pergere gressu,  
Accelerans, hominum fatali clade, ruinam.  
In promptu ratio, nec eam quæsisse necessum:  
Rari quippe homines, alimenta benigna ministrent  
Qui mihi, visuntur, cunctos ferme abstulit atra  
Sed nutritores ius irrevocabile mortis.*

*Abstulit atra dies FRIDERICVM nobile lumen  
Teutonice gentis, qui primus Flaminis almi  
Instinctu tibi, Dive locum LUTHERE docendi.  
Totius imperii (dictu mirabile) quamvis  
Commotis odiis, concessit pectore fortis.*

*Abstulit atra dies FRIDERICVM deinde IOHANNEM  
Insignem pietate virum, virtuteque nulli  
Maiorum, quotquot vitam traxere, secundum.  
Nam quanquam variis hic casibus atque periculis  
Non minus, ac genitor, iactari sepe coactus,  
Scilicet à recto quoniam discedere verbi*

Tramite salvifici nollet, dum Spiritus ossa  
Vitalis regeret: nunquam tamen ipse dolori  
Succubuit, celsis animis aet quamq; ferebat  
Sortem, millenis vicibus cum sanguine vitam  
Nomine pro dño cupiens magè fundere caram,  
Quam SALVATOREM turpi semel ore negare.

Abstulit atra dies quoq; te G. VILHELME IOHANNES,  
Heu praematura nece, plurima vivere dignus  
Secula qui fueras ob verè heroica facta.

Quae regio in terris etenim pietate referta  
Et virtute tua non est, super aethera notum  
Quae te reddebant, carumq; DEOQ; virisq;?

At tam celsorum nondum contenta virorum  
Sors inimica fuit nece, sed nova damna noviq;  
Intulit ab luctus causam mihi materiemq;.

Abstulit atra dies etenim iam morte dolenda  
Heu SOPHIAM, quae dulcis erat pietatis imago  
Atque mihi firmum columen. Sata namq; parente  
CHRISTOPHORO Tecci populi VVirtbergiaciq;  
Principe, ferventem verae pietatis amorem  
Protinus à teneris concepit pectore: quando  
Deinde juvaretur natura labore magistri  
Inclytæ; quin etiam cessaret tempore nullo  
Sedula sacrati diuina volumina verbi  
Nocturna versare manu, versare diurna:  
Sic conceperunt flammæ; sic viribus aucti  
Hi sunt igniculi, flagraret ut ipsa suavi  
Semper amore mei, mihi post bona poneret atq;  
Quae reputare solet venerandi numinis instar  
Immersa immundi gens fecibus impia mundi.

Hinc me, quosq; mihi iunxit constantia firma,  
Christicolæ nunquam pressit crudelis egestas,

Haud!



*Haud unquam nobis alimenta deesse recordor,  
Incolumis dum Dux esset, dum vita maneret.  
Sed, quia nunc liquit supremo lumine vitam,  
Quæ mihi pollicear deinceps, quæ commoda sperem?  
Nil nisi pauperiem, insidias, fraudesq; dolosq;  
Et quæ sunt veræ pietati cunq; molesta  
Ni pater Astripotens, hominum qui pectora flectit,  
Magnates reliquos, qui non alimenta gravantur  
Suppeditare mihi, mira bonitate reseruet.  
In primis vereor, ne velamenta superbo  
Me cingant nexu, CALVINICÆVA CATERVA  
Quæ probat, at reprobat CHRISTI quæ turba sacrata;  
Simplicitasq; mihi dematur, CALVA CATERVA  
Quam reprobat, probat at CHRISTI quam turba sacrata.  
Tu verò tu summe DEVS, qui cuncta potenti  
Imperio regis & pœnas immittis acerbas,  
Ah miserare vices, duros miserare labores  
Principis illustris, qui tristia fata marito  
Luget; tu flatu dio solatia firma  
Illius instilles menti; tu suffice vires,  
Ut queat, imposuit quod ei tua sancta voluntas,  
Ferre decenter onus: Quin sic rege pectora cuncta  
Ipsius imperio subiecta, ut noscere vitæ  
Crimina dira sua discant veniamq; precari:  
Scilicet, ut valeant pietate, quod imminet ipsis,  
Avertisse malum: Cum primis dogmata verbi  
Pura tui serves; pellas à sinibus istis,  
Quotquot mente tuum vesana spernere nomen  
Ausi doctrinam sanam corrumpere tentant  
Vocis salvificæ: poterint sic secula cuncta  
Dignus honos, nomeng; tuum laudesq; manere.*

A Nicolao Rhostio Vin. Illustriss. D D. Saxonix, linex  
Vinar., munificentia. in SALANA alumnus.

A 3

QVE-

Q U E R I M O N I A  
P A T R I A E.

Q uae tam seua lues, quae tam truculenta vicissim  
Ab fortuna mihi tristia damna creat?  
Vix etenim misera messis mihi tertia transit,  
Aestatem autumnus tertius & sequitur,  
Cum ternam sobolem tibi DVX FRIDERICH GVILHELMVS  
Cessarent triplices enecuisse Dea:  
Iam nova materies luctus maiorg, priori,  
Ocyus infertur conspicienda mihi.  
Scilicet heu S O P H I A M (dolor heu, heu tristia fata)  
Funere crudeli mors inopina rapit.  
Mors inopina rapit S O P H I A M, virtutibus aucta  
Secula quae Pylis vivere digna fuit.  
Siccine me cunctis vexari casibus agram?  
Siccine non ulla posse quiete frui?  
Nonne diu sensi fortuna tela superba?  
Multaq, visa mihi funera nonne satis?  
Anne etiam exhaustam nunc viribus, ô Pater alme,  
Est tibi decretum me mala plura pati?  
Parcito, quaso, Pater bone, parcito quaso, mihi nec  
Addito plus oneris, quam tetulisse queam?  
Ab sat pœnarum luimus, sat crimina plexa,  
Quêis offensa mihi numina saepe tua.  
Irarum meritas ergo nunc exsue flammis,  
SAXONICAMq, bonus tu rege, quaso, DOMVM,  
Illius atq, DVCE S sic protege, talia deinceps  
Funera ne liceat cernere plura mihi.

Ab eodem NICOLAO RHOSTIO  
Vinariensi.

QVE-

Q V E R I M O N I A A P O L -  
L I N I S E T N O V E M M V S A R V M .

A P O L L O .

**H**eu fatum , dolor heu , vicissitudo  
Quam ingens læticiæ doloris atq;  
(Quod nostrum tamen haud putasset ullus)

Hei iam nunc subiit Lycea nostra.

Vix donata suo vigore rursus  
Isthæc sunt superûm benignitate ,  
Quando tot sapientia nitentes ;  
Quando cognitione tot celebres ;  
Quando tot pietate diligendos ;  
Quando dexteritate tot valentes ;  
Quando sedulitate tot merentes  
Laudem , nacta prioribus fuere  
Annis : sed minuuntur hæ vicissim  
Vires ; robora concidunt repente  
Isthæc ; gloria , fama , lux decusq ; ,  
Quin immò caput ( ô dolor ) Lycei  
Nostri nunc iacet aureum . Sorores  
Nam , quæ pollice nent severa terno  
Vitæ stamina , morte concitata  
Illustrem S O P H I A M piam maritam  
F R I D R I C I patriæ patris , G V I L H E L M I  
Immites rapuere . Proinde mecum  
Vos ô Castalides , potentis almæ  
O gnatæ Iovis , ô meæ sorores  
Heu vestris lacrymis genas rigate  
Largis , fata piæ Ducis gementes  
Præmatura ; Dein melos sonate

Huic

Huic lugubre, prius fuistis auris  
Quam vitæ fruitam subinde laude  
Augusta solitæ per astra ferre;  
Tandem vota Patri precesq; ferte  
Supremo, reprimat furoris æstus,  
Hoc nec tempore, quo ruina tristis  
Doctis artibus imminet, patronis  
Cunctis nos spoliet: Necessitatis  
Istud conditio gravis requirit.

C L I O.

Est quidem virtus sibi met sat amplum  
Præmium, propterq; aliud colenda  
Nemini: laudis tamen his brabea

Confero digna

Scilicet cunctis, merito catervam  
Qui student nostram coluisse honore,  
Aut iuvant, quocunq; modo licebit,

Agmina docta.

Ergo cum talem SOPHIAM fuisse  
Constet heu sanctam, properata nobis  
Abstulit quam funere mors gemendo

Haud ita pridem,

Quæso quid poscat pietas? quid æqua  
Arduæ lex iusticiæ requirat?

Hancce quam rursus memores canamus

Carmine nostro.

D V X, tuæ laudis capiam sed unde  
Apta nunc exordia? cogito nam

Mente quæ de te, omnia laudis *ampla*

Præmia poscunt.

Sacra quod si cui PIETAS honore

Digna

Digna credatur, meritò illa summa  
Gloria te, D v x, cumulabit atq;

Tollet ad astra.

Scilicet sancto genita à parente,  
Et pia valde genitrice nata,  
Lacte cum primo pietatis almæ

Semina adepta es.

Deinde cum noctes pariter diesq;  
Iussa versâris superi Tonantis  
Dîa, sic incensa fuisti amore

Relligionis,

Vt nihil quidquam potius putares,  
Quodq; maiori tibi posset esse  
Quæstui, quam ritè viam salutis

Discere veræ.

Ergo cum vitæ spaciis peractis  
Heu Deæ, quæ stamina nent severa,  
Pollice impresso tibi cernerentur

Rumpere fila,

Tunc suas vires pietatis ardens  
Cura promebat, dabat & suprema  
En tibi constante fideq; speq;

Fata subire.

Quid sed ingentes memorem, maritum  
Inclytum verè quibus arsit ipsa  
VINCULI omni tempore CONIUGALIS,

Cordis amores?

Nexus ah tam suavis erat duorum  
Corporum, nullæ fuerint ut unquam  
Cognitæ lites, fuerint oborta

Iurgia nulla:

Curreret quando rota fortis axe

B

Prospero

Prospero, gaudebat vterq; ; vultu  
Quando fors tristis rigido tonabat,  
Ambo dolebant.

Nec tamen mentem superare casus  
Vllus illius poterat, resistens  
At, velut rupes Pelagi, **F E R E B A T**  
Tristia quæq;.

Quin & adflicti pia **D v x** mariti  
Artibus pectus recreare doctis  
Noverat, mærori adhibere & acri  
Mite levamen.

**T E M P E R A N S** huic insuper & **P V D I C A**  
Vita sic semper placuit, piacla ut  
Oderit contraria peius angui  
Et cane turpi.

Et meas aures ferit eiulatus  
Iam gregis, cui curta domi supellex,  
Quemq; fors fecit malefida rerum  
Omnium egenum,

Huicce nam princeps alimenta larga  
Subministravit, tribuit benigna  
Et manu vestes, quibus integebat  
Corporis artus:

Cumq; languerent inopis catervæ  
Membra crudeli lue languefacta,  
Arte porgebat propriâ parata  
Pharmaca docta.

Cuncta si tandem benefacta vellem  
Persequi, nostrum cumulavit ista  
**D v x** quibus coetum, foret exiturum  
Grande volumen.

Iure quocirca, fuerit **S O P H I A**  
Quando

Quando tantis condecorata donis,  
Flagitant quod NOMINA nostra, laudem  
Gloriæ adorno.

C A L L I O P E.

Dicor CALLIOPE, quod celebrem viros  
Claros DVLCISONA VOCE per integrum  
Orbem: sed (dolor heu, heu nimis invida  
Nobis fata) mihi tristia Principis  
Celsæ busta creant pectore tam gravem  
Mærorem, solita ut carminis ah mei  
Dulcedo querulos exeat in sonos.  
Rectè Thespiadum præses id admones,  
Et rectè soror hæc iussa facis pia  
Clio, dum SOPHIAM laudibus inclytam  
Ornas. Quippe Deæ cum SAPIENTIAE  
Dicamur, magè quid conveniet choro  
Nostro, carminibus quàm SAPIENTIAE  
(Hanc verò Danaûm gens ΣΟΦΙΑΝ vocat)  
Laudes persequier tollere & ad polum?  
Ast DVX, ô utinam vescier aura adhuc  
Vitali (sed ego vana quid expeto?)  
Posses, nostra foret publica tutior  
Res forsan, neq; tam sæva pericula  
Iactarent studiis tempora plurima  
Dantes: sed quoniam Cunctipotentib.  
Sic visum superis, en metuenda sunt  
Omni ex parte dein dura pericula  
Casus & varii cunctaq; tristia.

T H A L I A.

Pertentat & meos ob abreptam DVCEM

B 2

Cor-

Cordis recessus tam gravis luctus, queam  
Ut vix labella movere, verba & reddere  
Plena: tamen ingentes ut attester mei  
Flammas amoris, hancce complexa fueram  
Quo semper ob benefacta nobis præstita,  
Tremente lingua pauculos edam sonos:  
Nomen **T H A L I A E** nacta sum pulcerrimum,  
Quod fama Thespiadum perire nescia  
In orbe sit mansura toto **F L O R I D A**,  
Benigna rerum dum tenuerit robora  
Genitrix humus; convexa paverit polus  
Dum sidera; fluvii vexerint dum limpidas  
Aguas: sed heu trium severa virginum  
Numina: etenim **F L O R E M** decusq; gloriae  
Nostræ tulerunt prorsus immiti nece:  
**S O P H I A M** noto longè **D V C E M** sanctissimam,  
Speculumq; virtutum omnium tersissimum,  
Lebetridum firmumq; propugnaculum.

**E V T E R P E.**

Præfagiebam funera  
Puerperæ huius tristia,  
Vbiq; tanta obtingere  
Cum cernerem miracula.

Coelum tremebat Martiis  
Micantium conflictibus  
Heu lancearum, per loca  
Conspeximus quas plurima.

Squalore totus aëris  
Hiabat orbis anxius,  
Diu nec irrigarier  
Vndis dabatur coelicis.

Hinc



Hinc ergo tellus arida,  
Hiatibusq; pervia,  
Scatebat & pulvisculis,  
Multorum iter tardantibus;

Hinc ora multa fontium  
Exaruere; rivuli  
Hinc plurimi suis aquis  
Sunt destituti limpidis;

Hinc dira torrebat fitis  
Plantas, iacebant gramina  
Exfucca, & arborum comas  
Pallor subibat pendulas;

Hinc crebra passim incendia  
Visa urbium, ædium, arborum;  
Hinc multa Vulcano seges  
Matura messi tradita.

Hinc destitutæ pabulo  
Letho cadebant bestia:  
Quin & virum gens plurima  
Siti peribat ignea.

Quid hisce quæso singulis  
Denunciatum iudicem?  
Denunciata funera  
Incomparabilis D V C I S,

Portendit hoc exactius  
Ruptura in æde imaginis  
Heu principum fratrum trium,  
Quæ posita post altaria:

Portendit exactissimè  
Phœbus regens velamine  
Vultus nigro puerperæ  
Mortem dolentes inclytæ.

B 3

Qua-

Quapropter E V T E R P E S fui  
Quæ nacta nomen à sonis  
Suavibus, mortalium  
Oblecto queis præcordia:  
Nunc cogor ordinis statum  
Lugere quàm miserrimum  
Nostri, ac ob amissum decus  
Implere questibus loca.  
At summe tu parens, tuo  
Qui cuncta nutu temperas,  
Et qui bonas scientias  
Donas bonus mortalibus,  
Quantis vides tumultibus  
Iactemur atq; casibus  
Et magna quàm discrimina  
Artes sacras angant modò:  
Te tempus istud expetit;  
Te flagitat necessitas;  
Te postulant pericula;  
Te poscit artium status.  
Non ergo cunctos surripe  
Tristi hoc patronos tempore,  
Relinque sed quosdam, utiles  
Qui protegant scientias:  
Et quidquid imminet mali,  
Depelle nostris finibus,  
Artes bonæ ne corruant,  
Honosq; noster concidar,

E R A T O.

Nec ego meo nunc facta congruentia  
Proh nomini possum edere.

Cum

Cùm namq; jucundo vocer nomine *εραίσ*,  
    Ignes amorum quod canam,  
En jam querelis tempora omnia ut teram,  
    Ac ora largo flumine  
Humectem, & ingens perditum poscit bonum,  
    Pericla & impendentia.  
Amisimus Lebethrides tantam **D V C E M**,  
    Quæ totius mundi fuit  
Redimenda non ullis bonis. Amisimus  
    Docti ordinis præstans decus.  
Amisimus fautricem: opus quid pluribus?  
    Nostram parentem amisimus.  
Quàm densa sed timenda sit mortalibus  
    Periculorum post seges,  
Videre id est ex jam tibi percensitis  
    Miraculis, dulcis soror.  
Sunt bella nempe, pestis, improba & fames  
    Torsura eorum corpora:  
Nec non, sacrati verbi adempto lumine,  
    Caligo tristis ingruet,  
Ni pœnitenti mente mala cervicibus  
    Hæc à suis averterint.

**T E R P S I C H O R E.**

Heu quam ternarum sunt stamina iniqua sororum?  
    Quam jura habent & ferrea?  
Namq; dies multos concedunt hisce benignæ,  
    Et longa vitæ tempora,  
Qui melius fugiunt & deteriora sequuntur,  
    Ruuntq; per tetrum nefas:  
At qui prudentis rationis iussa capeffunt,  
    Virtutis & pergunt viâ,

**His**

His breve vivendi spatium dant protinus atq;  
His fila rumpunt invidæ.  
Sic quoq; prælustrem lugendo funere nobis  
Nostram abstulere Principem  
TE SOPHIAM, quæ digna tamen traducere plures  
Annos eras & secula,  
Scilicet insignem ob virtutem, religionis  
Veræq; amorem serium.  
Vix novies ternos annos, ó inclyta Princeps,  
Claudens, habebas, lumina:  
Nestoris annosi superasses secla, fuisset  
Datum mihi si stamina  
Dispensare. Patri quoniam sed cœlipotenti,  
Isthæc stetit sententia,  
En cunctis fas est me deinceps dicere longum  
SALTATIONIBVS vale,  
Quæ tamen apportant aliâs mihi gaudia summa  
Ceu nostra nomina innuunt.

MELPOMENE.

Discruciat, tantus mea nunc præcordia luctus,  
Magis ut velim tacere, reddere quàm sonos:  
Sed tamen, ut nostrum quoq; contestemur amorem,  
MODVLARIER quid nostra suadent nomina:  
Crediderim fatis sic decernentibus istud  
SOPHIAE Duci fuisse nomen inditum.  
Omnia transegit SAPIENTER tempora vitæ,  
SAPIENTER & fatum sublt novissimum.  
Curriculum vitæ totum direxit ad alma  
Nam iussa Patris, qui gubernat omnia,

Et

Et quando lethum iam posceret ultima jura,  
Vera fide vincebat omnia tormina,  
Hæc summa est virtus: hæc est sapientia prima,  
Didicisse rectè vivere & rectè mori.

V R A N I E.

Sic te Diva parens, Iova  
Summis prosequitur cordis amoribus,  
Ex vita innumeris malis  
Plena ut transtulerit te in rutilum polum  
Posthac casibus omnibus  
Exemptam. Frueris cælicolùm modò  
Felix colloquiis, Tuum  
Ex quæis gaudia cor tanta capit sacrum,  
Auris nullius audiit  
Quæ; vidisse potest nemoq; lumine  
Hic; seu pectore prendere.  
Quare non magè post fundere lachrymas  
Tristes conveniet mihi,  
Sed gratabor ovans en tibi talia  
Sortis munera splendida  
Dicens: Vivere non desit inclyta  
Princeps nostra, sed in POLVM  
Devenit capiens gaudia maxima,  
Alti factaq; DVX POLI:  
Nec cantabo tuæ tristia funera  
Mortis, gaudia sed POLI:  
Clarum nostra POLVM nomina nam sonant.

P O L Y H Y M N I A.

C

Quid

Et



Quid vos Pegasides truculenta morte peremtam,  
Dicitis esse D V C E M ?  
Vos malus error agit, SOPHIAM clausisse putantes.  
Ultima fata piam,  
Dico sed, hanc somnos iucundos carpere, grata  
Atq; quiete frui.  
Exspectans reditum, corpus nam dormit in urna,  
CHRISTE benigne, tuum.  
Ast mens ætherei manibus commissa parentis,  
Dona quietis habet.  
Iam ducens somnos, recreans & membra quiete  
Mortuus esse nequit.  
Auras haud igitur secessit D V X ea, ceu vos  
Dicitis, in tenues.  
Quid vos Aonides truculenta morte peremtam  
Dicitis, esse D V C E M ?  
Vos malus error agit, SOPHIAM clausisse putantes  
Ultima fata piam.  
Nam quanquam corpus privatum est munere vitæ,  
In cineresq; redit;  
Mens tamen æternæ sublimis in æthere vitæ,  
Dona beata tenet.  
Dona beata tenet mens expers materiei  
Interituq; carens,  
Partibus & tantum cunctisquæ corporis anteis  
Nobilitate sua,  
Est quantum turpi formosum dignius, ipsa  
Formaq; materie.  
Iam verò sua res sortiri nomina parte  
A potiore solent.  
Quo circa nec adhuc princeps crudelibus vmbriis  
Occubuisse potest.

Quid

Quid vos Sicelides truculenta morte peremptam  
Dicitis, esse D V C E M ?  
Vos malus error agit S O P H I A M, clausisse putantes  
Ultima fata piam.  
Nam quia virtutis præscripta verenda secuta est,  
Fugit & omne nefas,  
Nomina magna sibi magna cum laude paravit  
Perpetuumq; decus;  
Famaq; venturos eius durabit in annos,  
Sidera donec erunt.  
Nescit enim virtus, nescit veneranda subire  
Tristia fata rogi.  
Princeps idcirco toto cantabitur orbe  
Carminе deinde meo.  
Scilicet hoc pietas, ratio, lex suadet, idemq;  
N O M I N A nostra volunt.

*Ab eodem NICOLAO RHOSTIO  
Vinariensi.*

A L I A.

*C* Vr tota mæret regia,  
Genasq; amaris fletibus  
Molles, & ora funditur  
Vt imbribus madentibus?  
Cur flet chorus Lebetridum  
Cordis trahens ab intimis  
Suspiria, & circum lares  
Locans cupressi surculum?  
Fatum S O P H I A tristissimum

G A

Facio



Facit tuum : dolor heu quatis  
Pectus meumq, arrodere  
Non usq, & usq, desinit.

Mæret Themis tua funera :  
Peplo & revincta crinibus  
Pompa comes adest pectora  
Astræa palmis verberans.

Ah præcocem ah miserabilem  
Mortem ; ô sororum ferrea  
Decreta : vix perveneras ,  
Inquit , vigorem ad vividum :

Iam lustra quinq, expleveras  
Ætatis , ô brevissimum  
Diem : in toro nec moveras  
Bilem marito regio :

Nunc fata rumpunt stamina  
Vita tua , cum lampadas  
Phæbi tenebris occultit ,  
Ceu nocte densa , Cynthia.

Hæc fata , post ad subditos  
Conversa vultum , insignibus  
Tollit ducis celsissima  
Vitam peractam laudibus :

En inquit , hæc clementiæ  
Haud ficta imago , caterùm  
Qualis fuit Pisistrati  
Olim , fuit S A P I E N T I A .

Pietatis hæc dat simplicis  
Imaginem , ceu gemmulam ,  
Quam ritè pectoris tenuit  
In scrinio reconditam .

Quocirca & in mulieribus ,

Phæbi



Phæbi ut soror pulcherrima  
Latè micat præstellulis  
Minoribus, clarè micuit.

Sed jugiter virum genus  
Dum per nefas haud segniter  
Ruit, malam nec exiit  
Mentem; manent hæc præmia.

Regi & poli fixum manet,  
Animo suo sententia  
Sedetq; certæ, ab improbis  
Panas mali repositæ.

Refert mandata hic verbulo  
Tantum, repentè cernui  
Astant metu perterriti  
Flexo ministri poplite.

Adest nova ecce februum  
Cohors, & utilis DEVS  
Armis parat, vestrum, viam  
Lumen subire ocysimè.

Heu quantus heu sudor viris,  
Heu quantus est equis suis,  
In bella sic ruit, velut  
Gravi furore percitus.

Heu nunc vibrat Tritonia  
Scutum Minerva: heu advenit  
Torvum videns, fortissima  
Pandora torvo lumine;

Nefas manent hæc præmia  
Tuum, manent te perfidam  
Turbam tuosq; posteros  
Mala cuneta, quæ recensui.

Mutare quæso tristia  
Per hoc ego te, mitibus,

M 3

Caput

Caput precor, nunc incipe  
Et orsa flectere in melius:  
Fac quæso vota serio,  
Precesq; fundenumini:  
Sic penam agas à vertice  
Tuo, DEVM sic mitiges;  
Et mens sacrata, verticè  
Tuo, pericla quæ imminent  
Casura jam jam, à te, faciet,  
Ut exalent longissimè,  
Dixit: genas, ceu flumine,  
Fletu rigans, se miscuit  
Nocti, & retro vestigia  
Dat, vocesupremum vocans  
Modusquis ergo fletuum?  
Dic, quæso, Melpomene mihi:  
Ni veritas, pudor, fides,  
Pietasq; vita integritas.  
Hæc sunt, ad astra quæ vehunt  
SOPHIAM: via hac, DVX inclytee,  
Cælum petens; hæc occupat  
Sedem marita cœlitum.  
En vescitur decemplici  
In arce mundi pabulo,  
Deum bibitq; massicum  
Nectar. Queri ergo desine:  
Queri VVILHELMÆ desine  
Obitum tori dulcissimi:  
Fieri sorores sic jubent  
Fatumq; inevitabile,  
Ereptus ut sit omnibus  
Malis, super quæ perfidam

Ventura

*Ventura sunt velociter  
Turbam, ut scelus redarguant.  
Fadare vultus desine  
Tuos, VVILHELME, fletibus  
Et pelle curas pallidas  
Procul tuo de pectore:  
Sic ritè ages ævum tuum,  
Sic lustra vives Nestoris:  
Multoq, quam Polycraten,  
Beabit aura te melior.*

*A MATTHIA SCHIEMMELIO Ru-  
destadensi Illustriss. D D. Saxonie, munifi-  
centia in hac Salana Academia  
alumno.*

## E P I T A P H I V M

Ab eodem.

*H*oc SOPHIAE gelido sunt condita membra sepulcro,  
Quæ data FRIDRICO, viva, marita fuit.  
Eius scire cupis genus? alta ab origine nomen  
(Nam VVirtbergiaco sanguine creta,) tulit.  
Inde trahens ortum, non lustra quaterna repletat,  
Ecce datur thalamis Sponsa, VVILHELME, tuis:  
Cum quo vix nonæ est egressa trieridis annos,  
Ut lethi curva falce resecta cadit.  
Heu datur exiguum tempus, jacuisse lacertis  
In sponsi, ad nivea, & colla redisse suo.

PARVA

*Parvo at quod sponsum sua sponsa beaverit aro:  
Hoc, Dea dans uteri pignora quina, refert:  
Et nunc sextus erat foetus mittendus in auras  
Proh dolor, in partu funere mersa perit.  
Ast sic fata jubent: sic mundo erepta maligno  
Caelica regna, omni parte beata, tenet.*

F I N I S.



AB 155 276

(X 1992533)

A VO 17 Mg. 253.

1566  
1592  
1663



T H R E N O D I A E

IN OBITVM PRAE-  
MATVRVM ILLVSTRISS.  
AC PIENTISSIMAE PRINCI-  
pis ac Dominae, Dominae SOPHIAE Ducis  
Virttembergensis & Teccen-  
sis, &c.

ILLVSTRISS. NEC NON  
CELISSIMI PRINCIPIS AC  
DOMINI, DOMINI FRIDERICI  
GUILHELMI, Ducis Saxoniae, Landgrauij Thuringiae,  
Marchionis Misniae, &c. Coniugis suauissimae, quae in ve-  
ra & ardenti invocatione FILII DEI obdormiens; ex  
tristissima hac miseriarum valle in caelestem & beatam  
illam gloriae regiam ad XII. Cal. Aug. A. O. R.  
c. 10. 10. XC. hora 8. matutina, quae  
ipsum Eclipseos Solaris fuit,  
translata est,

*Debita pietatis, gratitudinis & subiectionis  
testanda gratia*

Conscripta.



I E N A E Typis Tobiae Steinmanni.

Inches

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
8

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black